UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXVI. De Desolatione castri Bartenstein.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Visual Library

POſt hæc ſurrexit quædam altercatio inter familiam fratrum & Pruthenos exiſtentes in obſidione pro quodam (*a*) caldario, qui debebat deferri de uno propugnaculo ad aliud, in quo Prutheni conſecrata ſecundum ritum ipſorum decoquere conſveverunt. Ad hanc pugnam venerunt fratres cum CL. viris, & factum fuit inter eos bellum magnum. Tandem fratres volente Domino caldarium violenter obtinuerunt, & procedentes ulterius illa tria propugnacula penitus deſtruxerunt, ita quod de MCCC. Viris, qui ad defenſionem ipſorum fuerant ordinati, vix aliquis mortem evaſit, & de parte fratrum ſolus Marſchalcus cecidit interfectus.

ANIMADVERSIO.

(*a*) Caldarius pro vaſe æneo. Gregorio Turonenſi caldaria lignea, eſt vas oleribus coquendis deſtinatum *lib. de Glor. confeſſ. c.98.* Vitruvius antiqvus Scriptor mentionem facit alieni caldarii *lib. 5. Archit.* Ut & Plinius æris caldarii *l. 34. Nat. Hiſt. c. 8.* Aliàs caldarium veteribus locum balneorum deſignat.

CAP. CXVI.

De
Deſolatione (a) caſtri Bartenſtein.

Anno Domini MCCLXIV. Cometes tam nobilis apparuit, qvalem tum nullus vivens vidit ab oriente cum magno fulgore fulgens usq; ad medium hemiſpærhærii

Reædificatis denuò propugnaculis, dum in quarto anno ſcil. Domini MCCLXIV. fratres deficientibus victualibus non poſſent à modo reſiſtere Pruthenis, deceperunt eos tribus vicibus in hunc modum. Fratres cum tota familia ſua ſe in moeniis caſtri ſub ſilentio à mane usque ad horam nonam occultaverunt, & dum Prutheni viderent, quod nullus in Caſtro compareret,

pheris occidentem, comam perlucidam pertrahebat & licet in diverſis mundi partibꝰ multa ſignificaverit, hoc tantum unum compertum eſt, & verum, ut cum plus quam per tres menſes duraverit ipſo primo apparente, Papa Urbanus cœpit infirmari, & in eadem nocte quâ Papa moriebatur & Cometes diſpa ruit.

raret, putabant obſeſſos effugiſſe & viriliter accedentes impugnaverunt caſtrum; ſed fratres exeuntes de inſidiis ipſos repreſſerunt, multos ſagittis & ictibus occidentes & lethaliter vulnerantes. Tandem poſt infinita pericula & bella quidam frater devotus rogavit Deum, ut ei oſtenderet quid in hac neceſſitate tutius eſſet ad aggrediendum. Cui vox cælitus miſſa reſpondit. Judæa & Jeruſalem nolite timere, Vos egredimini & Dominus erit vobiſcum; conſtantes eſtote vidibitis auxilium ſuper vos. Quâ auditâ ſequenti die fratres dividentes ſe & ſuam familiam in duas partes, quarum una venit ad caſtrum Kunnigsberg, altera in Elbingum, aſſumptisque reliquiis Sanctorum, relictoque in caſtro quodam fratre ſene decrepito & cæco, qui ipſos ſequi non poterat, receſſerunt. Idem tamen frater, qui manſit in caſtro ad ſingulas horas canonicas ſignum dedit more ſolito cum campana. Tandem cum diutius occultare non poſſet, acceſſerunt ſucceſſivè hoſtes ad caſtrum, & dum viderent eis neminem reſiſtere, intraverunt, & occiſo fratre caſtrum ad uſus ſuos conſervantes multa de ipſo contra fratres prælia exercebant.

ANIMADVERSIO.

(a) Urbis Bartenſteinenſis hic, ut in ſuperioribus, nulla fit mentio. Nam Urbs condita eſt poſt hæc tempora à Ludero de Brunſvig. Magiſtro Generali, ut cognoſcimus ex privilegio Fundationis Bartenſteinenſi urbi An. 1332. conceſſo.

CAP.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN